PATERIUS · GREGORIUS I. · AUGUSTINUS

Salzburg (?), 6. Jahrzehnt 15. Jh.

Seite 7r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8381
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

solis cognosceret quia ad tenebras propinquaret. In exposicione beati Job libro i

Vocavit Adam et dixit ubi es

Dum de delinquentium reprobacione tractaretur, adiunctum est: Vocavit dominus deus Adam et dixit ei: Ubi es? Quid est quod dominus Adam post lapsum requirit: ubi es? Numquid nam divina potencia nesciebat post culpam servus ad que latibula fugerat? Sed quia videt in culpa lapsum iam quasi sub peccato velud ab oculis veritatis absconditum, quia tenebras erroris eius non approbat, quasi ubi sit peccator ignorat, eum quem et vocat et requirit dicens: Adam ubi es? Per hoc quod vocat signum dat quia ad penitenciam revocat; per hoc quod requirit aperte insinuat quia peccatores iure dampnandos ignorat. In exposicione beati Job libro iiii

Mulier quam dedisti michi sociam dedit michi de ligno et comedi

Dum devitandi peccati excusacione tractaretur, adiunctum est: Mulier quam dedisti sociam michi dedit michi de ligno et comedi. Quatuor modis peccatum perpetratur in corde, quatuor consumatur in opere. In corde namque suggestione, delectacione, consensu et defensionis audacia perpetratur. Fit enim suggestio per adversarium, delectatio per carnem, consensus per spiritum, defensionis audacia per elacionem. Culpa enim que terrere mentem debuit extollit, et deiciendo elevat, sed gravius elevando supplantat. Unde et primi hominis rectitudinem antiquus hostis hiis iiii^or ictibus fregit. Nam serpens suasit, Eva delectata se, Adam consensit, qui et requisitus confiteri culpam per audaciam noluit. Hoc vero in humano genere cotidie agitur quod actum primo parente nostri generis non ignoratur. Serpens suasit, quia occultus hostis mala cordibus hominum latenter suggerit. Eva delectata est, quia carnalis sensus ad verba serpentis mox delectacioni se subicit(?). Assensum vero Adam mulieri prepositus prebuit, quia dum caro in delectacionem rapitur, etiam a sua rectitudine spiritus infirmatus inclinatur. Et requisitus Adam confiteri culpam noluit, quia videlicet spiritus quo peccando a veritate disiungitur, eo in ruine sue audacia nequius obduratur. Per timorem quippe Adam semetipsum absconsionis fugerat, sed tamen requisitus intumuit, quantum esse timens timebat. Cum ex peccato pene perpetuus metuitur, et amissa dei facies non amatur, timor ex tumore est, non ex humilitate. Superbit quippe qui peccatum si liceat non punitum non deserat. Iisdem etiam quatuor modis peccatum consumatur in opere. Prius namque latens culpa agitur, postmodum vero etiam ante oculos hominum sine confusionis reatus aperitur, deinc et in consuetudinem ducitur, ad extremum quoque vel false seductionibus vel obstinacione misere desperacionis enutritur. Item sequitur. In exposicione Job libro xxii

Vere humilitatis testimonium est et iniquitatem suam quemque agnoscere et cognitam voce confessionis aperire. At contra usitatum humani generis vicium est et labendo peccatum committere et commissum negando abscondere et convictum defendendo multiplicare. Ex illo quippe lapsu primi hominis hec augmenta